

penam augendam usque ad mortem, ut dixi *controvers. preced. numero decimo, & undecimo*, ex Berliquo *quarta parte, conclusio. vigesima, numero quinto*, & Carpzovius *in pract. crimin. secunda parte, questione nonagesima secunda, numero duodecimo*, cum aliis ab eis adductis. Tertia qualitas aggravans fuit tempus nocturnum, quod penam generaliter aggravat in quocumque delicto, præsertim in furto, ut dixi *eadem controvers. preced. numero duodecimo, & decimo tertio*. Et quarta, quia pecunia erat fiscalis, quæ publicè, & palam tanquam talis dicebatur cum signo Regio in similibus assueto, quod non ignorabant aggressores. Et quanquam de jure ex crimine peculatus solum pœna aquæ, & ignis interdictionis debetur, juxta Textum *in leg. prima, Digest. ad legem Juliam, peculat. cum similibus*, de quo plura per Tiberium Decianum *libro octavo, capite trigesimo, numero undecimo*, & Farinacium *questione centesima septuagesima prima, numero secundo, cum sequentibus*, sed hodie pœna capitali plectitur, ut accuratè probat Antonius Matthæus *libro quadragesimo octavo, Digest. titulo decimo, capite secundo, numero primo, & secundo*. Quod apud nos dubio caret, ut expressè probat Textus *in dicta lege prima, titulo decimo septimo, part. secunda*. Dum in ea cavetur quod crimen læsæ majestatis includit, ibi: *tanto podría ser el furto, o el robo è en tal manera, e tal saçon fecho que se tornaria en traicion conocida*. Et in hac specie concurrant omnes qualitates per hunc Textum requisitæ, ut crimen læsæ majestatis comprehenderetur. Nam prima qualitas requisita, est magnitudo, *tanto podría ser el furto*. Quod à jure ex sui natura crimen aggravat & in aliam speciem convertit. *lege aut facta, Paragraph. quantitas, Digest. de pan. & in hoc casu erat maxima, eum viginti mille ducatorum summam superaret*. Secunda, quæ requiritur in Textu est modus, ibi: *è en tal manera, quæ comprobatur ex loco, itinere nempe publico*, quod pariter criminis speciem mutat, *dict. leg. aut facta, Paragraph. locus*, cum circumstantia corruptionis conductorum, cum armis

mortem minitendo, atque regiam potentiam contemnendo, quia ad ejus ferè conspectum ingens argenti summa suscepta fuit. Tertia qualitas temporis e *en tal saçon*. Nocturno tempore, quando pecunia ad instruendas arces deferebatur, dum imminebat hostilis exercitus, quando funus nostri Regis lugebamus, & hac de causa filcus extenuatus reperiebatur, ut ad necessitates publicas occurrere posset. Ob quod licet arbitraria reus pœna in eo Textu imponatur, ut Dominus Gregorius Lopez opinatur *in dict. leg. prima, glossa duodecima, non necessariò pœna mortis, tot concurrentibus ipsa debebatur: & sic in terminis dict. leg. prima tener Villadiego in leg. decima, titulo secundo, libro septimo, for. judic. Ex quibus omnibus quatuor reos ad pœnam mortis condemnavi sententia diei 16. Februarii anni 1666. quam executioni mandavi perducere, remota appellatione, consulto prius summo Justitiæ Consilio. In quo causa plenariè relata, confirmata fuit prædicta sententia & mihi remissa, ut ad executionem perduceretur, interlocutoria diei decime nonæ corundem. Sed obiter adnotandum est, quod in casu latrocinii de quo supra *numero decimo tertio*, Josephus Hernandez, qui consilium dederat grassatoribus, tortus, negativus ac demum convictus, duorum testium sociorum criminis dictis, in tortura ratificatis, pœna mortis civilis plexus fuit: in hac autem specie Didacus Duran qui consilium dederat, & furtum participavit, quæstioni suppositus, negans & postea convictus trium sociorum in tortura deponentium dictis, morte naturali fuit plexus. Rationem differentie tradidi supra *controvers. vigesima sexta, numero vigesimo quarto, cum sequentibus*.*

Quartus casus est, quando grassatio non fuit repetita, neque includit qualitatem aggravantem, & tunc licet controversum sit an pœna ordinaria imponenda veniat, & in puncto juris veriore crediderim sententiam affirmativam, quam tuentur Dominus Covarruvias, Antonius Gomez, Don Joannes Vela, & præceptor Pichardus *in locis superius relatis*, cui

cui adstipulatur Textus *in dict. leg. tertiam, titulo decimo quarto, libro octavo recopilat.* Quam nullus ex contrarium tenentibus expendit. Verumtamen quia *in leg. octava, titulo undecimo, eodem libro octavo*, expressè cavetur, quòd quoties congruè fieri possit, etiam in crimine grassationis, pœna corporalis commutetur in remigii, ut in simili latè disserui supra *controvers. vigesima prima, numero quadragesimo quinto, cum sequentibus*, omne dubium removetur.

29 Nam si in aliquo casu ex simili crimine reo commutanda pœna esset, maxime quando semel admittit, absque aliqua qualitate aggravante. Et sic decisum fuit per Aulam in casu cujusdam militis gregarii, qui in via oppidi de Bicalbaro apprehensus fuit expilando viatorem; ad cujus clamores satellites accurrerunt, & ex tribus grassatoribus, hunc solum ascendit potuerunt. In hanc enim causa decidenda dubium suscitatum fuit, & dum pugnantem sententiæ adessent, controversia deposita fuit, & per medium commutationis res decisa, atque reus post fustigationem ad trimes missus per decennium. De Piratis & corsariis, qui navibus ad hoc instructis, rapinas exercent, in Aula non tractatur, quia illius territorium non se extendit ad oras maritimas. De eis, Deo favente, tractabimus in secunda parte. Quæ dissertatio opportunè forsitan suscitabitur; nam in vasto Oceani Indici ambitu, Piraticæ artes, cum miseranda navigantium clade, exerceri solent.

D. D. Laur. Matthan, de Re Crim. Pars I.



CONTROVERSIA XLIV.

De falsa moneta feneratoribus & quâ pœnâ puniri debent.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species narratur.
- 2 Falsa moneta crimen gravissimum. Legis Cornelia de falsis delictum comprehendit, ibidem. & peccatissimum, ibidem. Læsæ majestatis atrocitatem completur ibidem. Sacrilegii prævitatem includit, ibidem.
- 3 Moneta cudenda jus, de regalibus est.
- 4 Moneta adulterina fectores, flammis tradi debent.
- 5 Textus in leg. secunda, Codice de fals. monet. expenditur.
- 6 Moneta adulterina fectores, ut pœna ignis plectantur, aliqui tenuerunt, quod solidos aureos adulterasse, est probandum.
- 7 Textus in leg. quicumque 8. Digest. ad leg. Cornel. de fals. expenditur.
- 8 Dispositio dicti Textus extenditur ad fectores nummorum argenti.
- 9 Dari ad bestias, mortis naturalis pœna fuit.
- 10 Monetam majorinam adulterantes, pœna capitali plectebantur, licet esset ex ære, & argento conflata.

- 11 Moneta aerea flatores hodie flammis comburendi.
- 12 Moneta falsa criminis atrocitas, consistit in crimine lesa Majestatis in eo comprehensa.
- 13 Moneta aerea cudenda jus, ab Imperatoribus pluribus concessum antiquitus erat.
- 14 Moneta aerea jure cudendi privatis abrogato, pœna falsi monetarii imposta comprehendit flatores aëris.
- 15 Duobus Principum diversorum rescriptis, eadem sententia inesse potest.
- 16 Sicut diversorum Jurisconsultorum responsis, sæpius unica sententia, aut questionis definitio inest.
- 17 Moneta minute flatores, extraordinaria pœna plectendi, si minima quantitas cusa sit.
- 18 Contrarium tamen est verius.
- 19 Magis, vel minus non mutat speciem.
- 20 Moneta falsa crimen non admittit puritatem materiae.
- 21 In rebus mali exempli jura transgrediuntur, ne similia delicta remaneant impunita.
- 22 Moneta adulterina flatores de jure Hispano, comburendi sunt, cujuscumque metalli ea sit.
- 23 Sed flammis eraduntur postquam suffocati sunt.
- 24 Moneta adulterina flatores de jure Hispano confiscationem dimidie partis bonorum incurrun.
- 25 Corporis delicti probatio suppleri non potest per confessionem reorum.
- 26 Conatus non perfectus in crimine falsa moneta, non puniuntur pœna ordinaria, con-

tra; num. 32.

- 27 Corpus delicti probatur in crimine falsa moneta, per inspectionem peritiorum.
- 28 Apprehensionem monetae, & instrumentorum.
- 29 Quantitas monetae cuse, non pertinet ad probationem corporis delicti, & sic probari potest per testes, & rei confessionem.
- 30 Socii criminis in falsa moneta, probationem faciunt.
- 31 Puritas in hoc crimine non excusat.
- 32 Conatus puniendus in falsa moneta crimine, nisi reus ante perfectionem, poenitentia ductus, cesset à fabricatione.
- 33 Decisiones Aulae.

Upus de Villaroel Beticus, cum aliis tribus, monetae adulterinae argenteae crimen parare deceverat, ex aëre sive cupro, & argento eam cudendo, ita ut nummos unciarios, & semiunciarios (reales de a ocho, & de quatro nuncupamus) sic cuderent, ut nisi adhibito examine ignis, vel limæ dignosci non possent à legitimis; cum lucro dimidii pretii, quia aequales portiones metallorum miscebant. Jam aliquos flaverant, & expenderant, quando aqua viridis coloris ab eorum domicilio per alveare immissa, suspicioni ansam præbuit, ut domus inquireretur, in qua capiti tres ex illis fuerunt cum mulierculis, quas contubernales habebant; & in ipsa domo reperta fuerunt instrumenta totius operis, nempe mallei, incudes, forcipes, passulae, fornaculum, cunei signatorii, cum stigmatibus ejus monetae, expressis, & metallorum massa ingentis ponderis, ac insuper usque ad triginta teretes ejusdem materiae malleo paratae, secundum latitudinem, & crassitudinem congruentes ad nummos cudendos; nec non nummus semiunciarius totaliter perfectus. Hi ad carcerem reducti, vel facinoris gravitate confu-

si, aut confusione diversarum relationum convicti, totius criminis seriem confessi fuerunt. Nempe se massam, & teretes ex aquis portionibus argenti, atque cupri fuisse ad nummos cudendos; cuncos signatorios ab artifice sigillorum pretio comparasse; abditum locum in silva de Valdelatas elegisse, ad malleandos teretes, & nummos cudendos, ne ictus mallei in urbe tem detegerent; in quo ea cautela utebantur, ut dum unus laboraret, ceteri tanquam exploratores, per circuitum vias tenerent, ne aliquis usque ad eum locum penetrare posset; Nummos aliquos cudisse quos expenderant, mediantibus mulierculis, apprehensum esse ex ipsis ab eis cunis, & quod massa, & teretes paratae erant ad eundem effectum. His omnibus comprobatis, & artifice sigillorum capto, dubitabatur qua pœna essent plectendi.

De enormitate criminis dubitari non poterat, quia quatuor gravissima crimina complectebatur; Falsi juxta Textum in leg. quicumque 8. cum aliis sequentibus, Digest. ad leg. Corneliam de fals. Peculatis ex Textu in leg. prima, Digest. ad leg. Jul. pecul. libi. neve quis in aurum, argentum, & publicum indat, neve immisceat. Læx Majestatis ex Textu in leg. secunda, Codice de falsa moneta. ibi: *quos obnoxii majestatis crimina committunt*, Textus in leg. falsæ 9. Codice Theodosian. eod. titulo ibi: *falsa moneta rei (quos vulgo Paracharatas vocant) majestatis crimine tenentur*. Et Sacrilegii, Textus in leg. prima, Codice Theodos. si pecuniam conflaveris, ibi: *quicumque vel conflare pecunias, vel ad diversa vendendi causa transferre delegitur, sacrilegii sententia subeat, & capite plectatur*.

Et merito quia veritatis mutatio perniciosissimè adest; ex publico pecunia seu potius substantia subripitur; jura majestatis usurpantur, & imago Principis læditur. Nam jus cudendae monetae de regalibus est, supremis principibus reservatis, ut pluribus probant Dominus Latreca decis. Granat. duodecima, ex numero nono Dominus Solotzano emblemata. Regiopoli octogesimo primo, in principio, & Jacobus Gothofred. in leg. unica, Codice Theodos. si quis solid. circul. D.D. Laur. Matthæus, de Re Crim. Pars I.

exter. incidit. Ex quibus excluditur diffidentia ab aliquibus considerata, de qua latè Carpovius in præf. crim. parte prima, questione quadragesima secunda, numero vigesimo, cum sequentibus, & questione quadragesima tertia per totum, an scilicet falsitas verteretur circa materiam, vel circa formam. Supervacanea quidem est apud nos juxta decisionem Textus in leg. nona, titulo septimo part. septima. Statim expendenda, & apud omnes; nam lucrum quod intendunt isti falsarii, consequi minimè potest, si materia non vitietur, ut quotidiana experientia demonstrat.

De pœna hujus criminis in principales reos dubitari non potest, quod mortis naturalis sit, ita ut flammis mortiferis comburantur, ut probat Textus in dict. leg. secunda ad fin. Codice de fals. m. nec. ibi: *quicumque solidorum adulter poterit reperiri, vel à quocumque fuerit publicatus, vel à quocumque fuerit publicatus, illico omni dilatione sumpta, flammis exustionibus mancipetur*. Hæc eadem verba continet Textus in leg. prima, 5. Codice Theodos. eod. titulo. In cujus commentario Jacobus Gothofredus notat intelligendum de adulterante monetam auream, ranquam si adulterantes argenteam, vel æream sub ea dispositione non comprehendantur: ad cuius rei probationem adducit Textus in leg. quicumque octava, Digest. ad leg. Corneliam, de fals. Quam interpretationem aliqui ex antiquioribus tenuerunt, inter quos connumerandus est Dominus Covarruvias in collat. veter. numismat. capite octavo, numero tertio, vers. ego vero. Qui tenet quod attentio rigore juris pœna ignis non egrediebatur adulterantes aureos nummos. Licet quo ad adulterantes monetam supremorum Regum, de quibus loquimur, cujuscumque metalli sint, non dubitæ de pœna capitali & ex communi interpretatione, quod flammis sit. Quod probatur ex Textu in dict. leg. quicumque. Cujus verba sunt hæc: *quicumque nummis aureis partim raserit, partim intinxerit, vel fluxerit, siquidem liberi sint, ad bestias dari; si servi, summo supplicio affecti debent*. Cujus dispositio ad argenteos nummos extensam esse pro-

bat Paulus libro quinto, *sentent. titulo vigesimo quinto*, §. primo, ut notat Dionysius Gothofredus in *dict. leg. quicumque*; & mihi probat Textus in *leg. lege Cornelia 9. Digest. eodem titulo*, dum in principio dixit Ulpianus, *lege Cornelia cavetur ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, falsi crimine teneri*. Dum enim à Juris consulto in eo Textu conjunguntur vitium aureorum, & argenteorum adulterinam stationem, sub dispositione legis antecedenti utriusque comprehendendi est compertum; quia si per diversam regulam judicandi essent, inepta esset similis conjunctio. His posititis clarè sequitur quod pœna mortis naturalis imponitur. Quo ad servos dubitari non potest; nam in Textu dicitur *summo supplicio affici*. Quod est idem ac morti tradi, ut docet Celsus in *leg. ultimum, vigesima prima*, *Digest. de pœn.* Quo ad liberos idem dicendum puto; nam qui ad bestias dabantur pœnam mortis naturalis sustinebant, cum eis dilaniandi essent, ut probat Brissonius *de formul. libro quinto*, §. aliud porro erat; & cum de jure hæc pœna æquiparetur pœnæ furcarum, ut probat Textus in *leg. desertorem*, §. is, qui ad bestias, *Digest. de re milit. ibi: ad bestias, que, vel in furcam damnabitur*. De ultimo supplicio intelligenda est, ut cum Cyno, Marsilio, Tiberio Deciano, Bajardo, & aliis intelligit Farinacius *questione decima nona, numero decimo octavo*, & in terminis falsæ monetæ *questione centesima decima quinta, numero centesimo*, in crimine autem falsæ monetæ, capitalis pœna intelligitur de morte naturali, licet in aliis criminibus de civili intelligi possit, ut probat Textus in *dicta lege unica, Codice Theodos. si quis solid. cir. ex ter. incid. ibi: aut capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera*.

Et sic licet moneta area sit, sive argentea, sive ex ære & argento constata quam majorinam vocabant, pœna ultimi supplicii pledebantur adulterantes. Quæ extensa fuit ad eos qui argentum ab ære ex pecunia majorina separabant Textus in *leg. compertimus 6. Codice Theodos. de fals. mo-*

net. (cujus decisio observanda est, quia nova moneta in Castellæ Regnis cauta, mixta est, & ab aliquibus arguentum ab ære separari publicè dicitur) de quo videndi sunt præter Jacobum Gothofredum in *eodem Textu Bartolus in dict. lege*, *lege Cornelia in principio*, Joannes de Platca in *leg. fin. Codice de veter. numis. potest. numero tertio*, Afflicti. *ad constitution. Neapolit. adulterinam*, §. qui nummos, numero tertio, Budæus in *libro de asse*. Tiberius Decianus in *tractat. crimin. libro septimo, capite vigesimo tertio, numero decimo quinto*. Quia depositio comprehendit quoscumque monetæ falsarios *dict. leg. prima, Codice de fals. monet. leg. falsa nona, Codice Theodos. dict. titulo*. Quare hodie juxta communem Doctorum interpretationem, sive moneta aurea sit, sive argentea, sive area flatores, & adulterantes comburendi sunt, ut tenent Salicer. in *dict. lege secunda, Codice de fals. monet.* Mattheus de Afflicti. in *constit. Neapolit. libro tertio, titulo quarto*, Dominus Covarruvias *dict. capite octavo, numero tertio, vers. quod si quis*. Petrus Gregorius lib. *trigesimo sexto syntagm. capite secundo, numero trigesimo primo*, Farinacius *questione centesima decima quinta, numero octavo, sexagesimo nono, & octogesimo quarto*, Giurba *consil. quinquagesimo octavo, numero primo*, Guicciotti *libro tertio, practic. questione quarta, numero quinta*. Antonius Mattheus *tractatib. de crimin. libro quadragesimo octavo, Digest. titulo septimo, capite quinto, numero primo*, & Carpovius *dict. questione quadragesima secunda, numero decimo quinto, cum sequentibus*. Et ratio hujus communis interpretationis est; quia Imperator in *dict. leg. secunda, in principio*, de nummos adulterantibus absolutè loquitur, & eos reos læsæ majestatis constituit; in quo enormitatis præcipua ratio consistit; ac per consequens licet postea de solidis, qui auri sunt, mentionem faciat, cum pœna capitalis jure digestorum, sive ultimi supplicii, ut probavimus, jam imposita esset, non litimativè ad solidos pœnam flammaram indixit, sed ad nummos quoque, quia non est credendum minori animadvertione eos

eos fabricantes puniri jussisse, dum omnes in eadem constitutione complectitur, & reos majestatis denuntiat; Cum eadem ratio militet, ut colligitur ex his quæ adducuntur à Domino Valençuela *consil. trigesimo, ex numero octavo*, & Domino Larrea *dict. decisione duodecima, numero nono, cum sequentibus*, quibus probatur quod monetæ essentia pendet, ab auctoritate Principis, quæ vulneratur in ærea, sicut in aurea.

Quod confirmatur alia urgentissima ratione; nam licet olim Romani area tantum pecunia usui fuissent, usque ad annum 85. quo argenteos nummos Quintus Fabius consul eudi jussit, & sexagesimo secundo abhinc anno percussus aureus fuit, ut probat Plin. *libro trigesimo tertio, naturalis historia, capite tertio*, & aliis adductis Petrus Gregorius *dict. capite secundo, numero secundo & tertio*, Imperatores monetæ æris eudendæ jus concedere solebant, ut tradit Jacobus Gothofredus in *leg. fin. Codice Theodosian. de fals. monet.* Similis facultas generaliter abrogata fuit per hunc Textum, ejus verba sunt eadem cum verbis *leg. ultim. Codice eodem titulo*, in quibus dicitur quod si aliquis ultra euderit, *pœnam quam meretur excipiat*. Hæc pœna flammaram, absque dubio est, quia sic Justinianum intellexisse est credendum; nam in lege superiori quæ est *dict. lege secunda*, impositæ immediate, ut diximus, in omnes adulterantes nummos, neque est credendum cogitasse de pœna imposita jure digestorum per *dict. leg. quicumque* quam abrogaverat, vel auxerit, quando codicem condebat; & sic potius referenda ad proximiorum quam ad antiquam, & remotam. Neque obstat quod diversorum Principum rescripta hæc jura sint, nempe *dict. lex secunda*, Constantini, ut in Codice Justiniani inscribitur seu verius Constantis, ut in Codice Theodos. dicitur Quod notat ibi Jacobus Gothofredus in *eodem Textu*, (& notarat Dominus Covarruvias *dicto capite octavo, numero tertio, vers. ego vero*) & *dict. lex tertia, si ultim. Valentiani, Theodosii, & Arcadii*. D.D. Laur. Mattheu, de Re Crim. Pars I.

dit. Nam ad integram definitionem alicujus questionis pluries in libris digestorum usitatum reperimus, quod duobus, aut tribus diversorum Jurisconsultorum responsis, unicam sententiam compilator componat. Sic observatum habemus in *leg. in tantum 6. cum leg. sequent. Digest. de veri. divis. quarum prima est Modestini, secunda verò Ulpiani*. Similiter in *lege prima cum duobus sequentibus, Digest. de Offic. Praefecti vigili. ex quibus leges prima, & tertia*, sunt Pauli, & 16 *lex secunda*, est Ulpiani: pariter in *leg. prima & secunda, Digest. de postuland. prima* namque est Ulpiani, secunda verò Gaii: & sic passim. Et nihilominus unum sensum integram constituunt, & ex diversis completa definitio coalescit: ac per consequens idem dicendum erit de istis duabus legibus *secunda & tertia, Codice de falsa moneta*; ne de remotissima pœna legis Corneliæ cogitasse Justinianum dicamus dum ab ejus dispositione discedebat; Relativa namque ad proximiora referenda sunt. Ut notant Bartholus, Alexander & Arcetinus *leg. ista scriptura, Digest. de legat. prima*, Panormit. in *Code postulat. si de jur. Patronat.*

Neque inficiatis ex eo quod Antonius Mattheus *dicto capite quinto, numero quarto*, & Carpovius *dicta questione quadragesima secunda, numero quinquagesimo quarto*, teneant quod falsarii obolorum extraordinaria pœna puniri debent. Nam ultra quod isti rei non obolorum, sed nummorum argenteorum conflatores erant, Antonius Mattheus clarè dixit, quod circa quantitatem monetæ adulteratæ Imperator non distinguit in *dicta lege secunda*, quare obnoxius pœnæ remanet qui vel paucos nummos adulterinos formavit. Licet ille opinetur, quod isti qui unum aut alterum obolam fecerint mitius plecti debent. Carpovius verò, igni subjiciendum tradidit qui plures obolos fecerit: & quamvis teneat *numero sexagesimo*, quod semel, aut bis paucos faciens, extraordinaria animadvertione puniendus venit, hoc in ærea moneta verificari potest ratio.

Gg 3 ne

ne minimi præjudicii ab eo considerari, quod posset procedere si præjudicium in concreto æstimeretur. At verò in abstracto, semper præjudicium maximum est, cum pretia rerum confundantur, & commercia revolvantur: crimen namque læsæ Majestatis, cujus auctoritas usurpatur, non minus committitur in obolo, quam in solido, ex quo damnum irreparabile Reipublicæ resultat, atque pessimum exemplum exhibetur, dum impunitum hoc execrabile crimen remanet. Magis enim, vel minus non mutat speciem, ut Philosophi dicunt, & notavi tom. primo de regimine Valentiae capite secundo, §. primo, numero centesimo decimo. Quibus additur, quod in materia falsificationis monetæ, nunquam potest verificari parvitas materiæ, & sic ex fornicatione paucorum obolorum majestas læsa remanet enormiter, ut cum Sixtino, Harnisæo, Baldello, Befoldo, Larrea, & aliis probat Dominus Solorzano dict. emblema octogesimo primo, numero tertio, cum sequentibus. Idem testatur Jacobus Gothofredus in dict. leg. fin. Codice Theodos. de fals. monet. ibi: Nihil est regalibus quod non suo, & summo pondere censeri debeat. Unum denique istud è summis imperii arcanis, jura majestatis individua patere. Et ibi: His adde, periculum à falsariis, si vel minimam cudenta monetæ facultatem privatis tribuas. Nec sufficit in hoc casu pœnæ extraordinariæ impositio, nam ut in simili prudenter dixit doctissimus Dominus Covarruvias libro secundo, Variar. capite nono, numero septimo, ibi: si quidem frequenti hujus criminis usus considerato, & læsione maxima, qua ex eo Reipublica inferitur, expedit pœnas exquirere quibus hominum reprimatur auctoria. Nec novum est quod in rebus mali exempli jura transgrediantur, ut Reipublicæ subveniatur. Jurisprudentiæ criminalis primum principium est, quod delictum sine dolo commissum puniti non potest pœna ordinaria, neque corporali, Textus in leg. cum autem, §. excipitur, Digest. de edil. edict. tex. in lege nona, in principio leg. divus Hadrianus decima quarta, Digest. ad leg. Cornel. de sicar. cum similib. plu-

ribus Giurb. consil. octogesimo tertio, numero decimo sexto, & decimo septimo, & tamen in rebus mali exempli pœna ultimi supplicii imponitur expresso jure, ut in specie Textus in leg. si quis, trigesima octava, §. qui abortivionis, Digest. de pœn. & sic cum perniciosi exempli sit monetæ adulterinæ cufio, etiam in obolo capitaliter plecti debet, flammæ pœna.

Quod de jure nostro Hispano difficultate caret, ut probat Textus in leg. nona, titulo septimo, part. septima, ibi: Qualquier que ficere falsa moneda de oro, o de plata, o de otro metal qualquier, que sea quemado por ello de manera que muera. Sic docent Dominus Gregorius Lopez, ibidem, glossa secunda, Dominus Covarruvias dict. capite octavo, numero tertio, vers. qui vero falsam. Antonius Gomez in leg. octogesima tertia, Taur. numero tertio, Villadiego in lege secunda, titulo sexto, libro septimo, for. jur. numero primo, Didacus Perez in leg. quarta, titulo sexto, libro octavo. Ordinar. glos. prima circa fin. & in leg. vigesima tertia, titulo decimo nono, eodem libro octavo, glossa magna circa princ. Azevedo in lege quinta, titulo decimo septimo, libro octavo, recopilat. numero decimo sexto, Don Joannes Vela de delictis parte prima, capite undecimo, numero undecimo, Guierrez dict. libro tertio, practicar. questione quarta, numero quinto, & Pichardus in manuduct. ad praxim, parte tertia, §. quarto, numero trigesimo septimo, quo jure utimur. Ita ut si crimen concludenter probetur, rei flammis comburantur, postquam suffocati sint, quia valde inhumanum esset, quod homines vivi comburentur. Non enim pietas Christiana patitur hanc sævam executionem nisi in crimine hæresis, & Apostasiæ, quando rei in obstinatione impœnitentes perseverant. Et quamvis de jure communi etiam pœna publicationis omnium bonorum imposita sit lege prima, §. fin. Digestis ad leg. Corneliam de fal. dicta lege secunda, Codice de fals. monet. leg. si quis tertio, Codice Theodos. eodem titulo. Ubi communiter Doctores. De jure Hispano solum dimidiam bonorum amittunt partem, ut in dict. leg. nona.

mona, habetur & in legibus ordinamenti atque recopilationis memoratis, de quibus latè per nostros Doctores disputatur. Sed quia tam in hac specie quàm in ceteris, quas vidi, crimina hæc à perditissimis hominibus patrantur, inanis est disputatio bonorum, cum nulla possideant.

His positis facilis videbatur decisio nostræ controversiæ, quia rei convicti, & confessi reperiebantur, ob quod pœna ordinaria plectendi videbantur. Sed pro eorum defensione allegabatur, quod de corpore delicti non apparebat, nisi in minima quantitate, nempe in illo nummo semiunciario, & hoc suppleri non poterat per rei confessionem juxta vulgarem Textum in leg. si quis in gravi tertia, Paragraph. si quis moriens, Digestis, ad Syllaniam. ibi: nisi potuerit & probari pluribus Farinacius questione secunda, numero septimo & vigesimo secundo, Guazzinus defens. quarta, capite primo, secundo, & nono, numero quarto, Giurba consil. trigesimo septimo, numero quadragesimo septimo. Quo posito mitius puniendi erant: nam ex unius, vel alterius nummi confatione extraordinem plectendi sunt, ex dictis per Antonium Matthæum, & Carpozovium, ubi supra; quam sententiam uti mitiorem amplecti videtur Farinacius dict. questione centesima decima quinta, numero nonagesimo, qui alios adducit. Et licet inventus fuisset apparatus ad plures nummos argenteos adulterinos conficiendos, non fuit perductum ad effectum, & ex solo conatu flammis tradi non poterant, ex deductis per Farinacium ibidem numero nonagesimo secundo.

Verùm ista argumenta facillimè solvebantur. Quia de corpore delicti plenè constitit, per inspectionem ocularem, & relationem peritorum; qui vitis illo nummo perfecto, circumcissionibus aliorum imperfectorum, ex eadem materia, massa metallorum ejusdem qualitatis, teretibus jam preparatis ad cudendum cum crassitudine, & latitudine proportionata, ponderèque, & mensura ad decem nummos ex quolibet cudendos; cuneis signatoriis, malleorum

ictibus usum diuturnum comprobantibus, signis in nemore permanentibus hujus operis in ligno quod alehmotææ loco, incudes recipiebat, pessulis, aliisque vasibus cum ingredientibus, & vestigiis lotionis nummorum, ut argenti colorem perfectum fumerent, quæ omnia erant permanentia, & simul juncta ad alium finem deservire non poterant; certissimè apparebat aliundè quàm per eorum confessionem, de substantia, si ve corpore maleficii, juxta Textum in dict. leg. si quis in gravi, Paragraph. si quis moriens, & doctrinam Farinacii dict. numero vigesimo secundo, qui non requirit inspectionem omnium nummorum, sed absolute ocularem inspectionem, ne ex sola confessione rei damnentur quod in nostra specie concurrebat; & doctrinam Guazzini qui dict. numero quarto, judicium peritorum exposcit, quod hic adhibitum fuit. Quibus jungebantur attestaciones muliercularum, deponentium se expendisse plures nummos argenteos unciarios, & semiunciarios, & dicta foriorum ad invicem uti testes examinatorum, qui in hoc crimine tanquam excepto, fidem faciunt, ut probat Textus in dict. leg. prima, Codice de fals. monet. ibi: facti confisios per tormenta prodituri. ubi Doctores quorum plures laudaveram supra controversia secunda, numero trigesimo tertio, clarissimè apparebat de conclusenti probatione, non solum corporis delicti; verùm etiam de delicto uniuscujusque, quantumvis illius confessionem sigillatim auferas.

Neque ex parvitate materiæ excusari poterant, juxta ea quæ superius diximus numero decimo septimo, cum sequentibus, quibus adaptatur sententia Farinacii; numero nonagesimo primo, licet hæc responsio necessaria non esset, cum ex actis resultaret non in parva, sed in magna materia deliquisse. Neque hic dici poterat, quod crimen remanebat in terminis conatus, non perducti affectum, quia contrarium probabatur ex actis: & si, & ubi tantum de conatu constaret, conclusio procedit, si rei pœnitentia ducti sponte à fabrica destitissent, ut in terminis docet Paulus in lege qui

falsam decima nona, Digest. ad leg. Cornel. de fals. ut plurius probat Farnacius dicta questione centesima decima quinta, numero nonagesimo quarto. Quibus adtulpantur ea quæ superius diximus, de affectu, non secuto effectu, in atrocissimis, ut puniatur eadem poena. Controversia decima tertia, numero decimo, cum sequent. & controversia trigesima secunda, numero vigesimo tertia.

33 Ex his omnibus isti rei condemnati fuere ad poenam ignis sententia diei secunda Junii anno millesimo sexcentesimo sexagesimo, actuante Francisco Medrano. Sic pariter postea decimum fuit in causa cujusdam incolæ oppidi del Real, qui monetam auream ex ære conflaverat cui apprehensi fuere novem solidi jam perfecti, materia, & cunei signatorii: & probatum fuit expendisse unum solidum, quare fuit ad flammam condemnatus sententia diei quarta Decembris millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio.



CONTROVERSIA XLV.

De falsificante cuneos signatorios Regis.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Sigillum adulterinum faciens poena legis Cornelie tenetur.
- 3 Poena falsi, extraordinaria est, de jure civili, & Hispano.
- 4 Auxilium remotum non est dignum eadem poena.
- 5 Sigillum Regis falso conficiens non punitur poena ignis.
- 6 Imago Principis imponitur in numismate.
- 7 Majestas Principis leditur atrociter, ex contemptu imaginis.
- 8 Falsam monetam cudens ratione forme mitius puniendus est, & numero 51

- 9 Conficiens falsos cuneos poena flammarum plebitur.
- 10 Falsæ moneta crimen jure Digestorum sub leg. Cornel. continebatur.
- 11 Jure Codicis factum fuit crimen specie diversum.
- 12 Leges Hispanæ poenam imponentes falsatoribus Regii sigilli, de quibus tractent.
- 13 Falsi crimen in litteris Regis graviorissimum.
- 14 Falsi moneta crimen graviorius.
- 15 Quia damnnum transcendente producit.
- 16 Poena ignis debetur auxiliatoribus falsa moneta.
- 17 Falsitas cuneorum influit in tota delicti substantia.
- 18 Signum in moneta excusum ejus valorem decernit.
- 19 Stemmatum differentia in sigillis, ad signandas tabulas, vel monetas, & inter ipsas monetas.
- 20 Signa quibus moneta percutitur, non deseruiunt ad alios usus.
- 21 Arma commodans homicide excusari potest, quia deseruiunt ad alios usus.
- 22 Cunei signatorii ad instantiam privati excusi, non possunt deseruire ad alium finem, nisi ad monetam falsam percutendam.
- 23 Sigilla quibus tabule obsignantur, non sunt de substantia rescripti, vel privilegii.
- 24 Sola subscriptio concedentis, auctoritatem Scripture impariatur.
- 25 Sigillorum usus in tabulis, requisitum est noveriter excogitatum tempore Neronis, aduersus falsarios.

26 Sigil

- 26 Sigillorum usus inter Principes antiquissimus.
- 27 Sigillorum usus ex Sacra Pagina antiquissimus comprobatur.
- 28 Stigmata Augusti, Galba & aliorum Principum.
- 29 Sigillo Principis creditur, magis de consuetudine quam de jure.
- 30 Solemnitates pures requiruntur in jussionibus sigillo nummis.
- 31 Quod etiam procedit de jure Hispano.
- 32 Annulorum signatoriorum usus inter Romanos privatum.
- 33 Annulis signabantur res minutissima.
- 34 Textus in leg. cum pater, septuagesima septima, Paragraph. pater pluribus, vigesimo primo, Digest. de legat. 2. expenditur.
- 35 Signum in nummis, est de substantia forma.
- 36 Et publicam auctoritatem præbet.
- 37 Nummos publico sigmate signatos respicere, crimen punibile est.
- 38 Publica forma nummis necessaria est, ut certam, & permanentem estimationem obtineant.
- 39 Pecunie usus antiquissimus.
- 40 Pecunia argentea publicè percussa tempore Abrahæ, in usu erat.
- 41 Pecunie substantialis forma pendet ex signatura.
- 42 Imagines Imperatorum aliquando percutiebantur in nummis.
- 43 Aliquando rerum præclarè gestarum symbola.
- 44 Sed semper inscriptio nominis signabatur.

- 45 Christus Dominus quando inspiciebat nummum Cesaris, non solum contemplatus fuit imaginem, sed inscriptionem.
- 46 Stigmata, & inscriptiones representant personam Principis, sicut imagines.
- 47 Legum nostrarum exempla.
- 48 Injuria fit, etiam inter privatos, ex usurpatione alienorum signaturum.
- 49 Cuneos signatorios absque Principis auctoritate conficiens, totum crimen adulterina moneta, ratione forme perficit causativè.
- 50 Lege Hispana punitur poena flammarum, tam qui adulterat nummos ratione forme, quam ratione materie.
- 51 Benedicti Carpovii doctrina quoad mitigationem poene in adulterante pecuniam, ratione forme, procedit quando qui proprio nomine cudis.
- 52 Decisio Aule.

IN specie controversiæ præcedentis diximus falsarios principales pretio corrupisse artificem sigillorum, ut conficeret cuneos signatorios, nummorum argenti unciariorum & semiunciariorum, ut effectivè conficeret aliquos, cum quibus nummi percutiebantur. Et cum ex actis resulfasset quod iste reus in cuneis expresserat stigmata, & inscriptiones Regias, quæ diversæ sunt, ab eis, quæ in sigillis Regiæ, ad rescripta privilegia, Epistolæ, & jussiones obsignandas conficiuntur, dubitabatur, quæ poena veniret plectendus.

Dicebatur ad rei defensionem, quod de jure civili Romanorum tantum teneri poterat poena legis Cornelie de falsis, ut probat Textus in leg. lege Cornelia, trigesima, Digest. eod. titulo, ibi: lege Cornelia testamentaria obliga